

etiam a Thomistis hic alia adjici argumenta a priori ex eo desumpta, quod repugnet, substantiam per seipsam immediate quidpiam agere. Ea tamen mihi satis incerta videntur, quæque forte faciliorem patiuntur solutionem: ideo illa hic omitto, curiosum lectorem ad veteres Doctores remittendo (1).

ARTICULUS V.

De variis modis, quibus res incipiunt, ac desinunt, ac de terminis magnitudinis et parvitatibus.

369. Duæ restant quæstiones, quæ variis in locis *naturalis Philosophiæ* tractari possent, ac tractabantur a veteribus, quæ quia nec sunt alienæ ab hac materia de corporum generatione et corruptione, nec hactenus tractatæ a nobis sunt, breviter jam attingere oportet, in summam et compendium revocatis iis, quæ fusiori calamo Scholastici disputabant (2).

§ I.—DE MODIS QUIBUS RES INCIPERE AC DESINERE POSSUNT.

Inceptio significat initium durationis, desitio autem finem durationis rei: ac duplex distinguitur modus inceptionis ac desitionis rerum: *intrinsicus* et *extrinsecus*. Tunc dicitur aliquid incipere esse intrinsece, quando incipit per primum sui *esse*; vel quando de re incipiente esse, licet dicere: *Nunc est, et immediate ante non erat*; vel quando datur instans, in quo res ita primo est, ut immediate ante illud non fuerit. Tunc e converso res incipere dicitur extrinsece, cum incipit per ultimum sui *non esse*; seu quando dicere de illa licet: *Nunc non est, sed immediate post erit*; vel quando datur

(1) Vide nominatim Cardin. Aguirre, (loc. cit. sect. 2). Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 2), Complutenses (loc. cit. quæst. 4), Gouddin (loc. cit.).

(2) Videri possunt de hac materia Conimbricenses (*Physic.* lib. 8, cap. 8, quæst. 2), Rubius (*Physicor.* lib. 6, tractat. *de modo incipiendi rerum*), Benedict. Pererius (*de communibus*... lib. 14, cap. 0), Toletus (*Physic.* lib. 6, quæst. 4), Complutenses (*Physic.* disp. 26), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 38), Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 21), etc.

instans, in quo quamvis res nondum sit, tamen immediate post illud erit. Tunc porro dicitur res desinere intrinsece, quando desinit per ultimum sui *esse*; vel quando potest de illa dici: *Nunc est, et immediate post non erit*; seu cum datur instans, in quo ita est res, ut immediate post illud jam futura non sit. Tunc denique res dicitur desinere esse extrinsece, quando desinit per primum sui *non esse*; seu quando dici de illa potest: *Modo res illa non est, et immediate antea erat*; seu quando datur instans, in quo res jam non est, ita tamen ut immediate ante fuerit. Itaque inceptio intrinseca est instans, quod est primum *esse* rei; ac desitio intrinseca est ultimum *esse* rei. Et similiter inceptio extrinseca est ultimum *non esse* rei, desitio vero extrinseca est ejus primum *non esse*. Dicuntur porro priores modi intrinseci, quia *esse* primum rei et *esse* ultimum sunt eidem intrinseca, vel quia in ejusmodi instanti primo et ultimo res vere est. Ob oppositam rationem alii modi dicuntur extrinseci, quia nec ultimum instans nec primum sui *non esse* possunt rei esse aliquid intrinsecum ad ejus entitatem pertinens. Ex quo etiam patet non posse plures alios excogitari modos inceptions ac desitionis præter duos assignatos: nam quidquid incipit aut desinit, necessario vel est, quando incipit aut desinit, vel non est. Si est, incipit et desinet intrinsece; si non est, incipit ac desinit extrinsece (1).

Jam res, quæ incipiunt ac designant esse, aliæ sunt permanentes, ut lapis, aliæ successivæ, ut motus ac tempus; quædam producantur motu strictissime dicto, ut calor; quædam sine tali motu, ut formæ substantiales, quæ in instanti educuntur de potentia materiæ; multæ contrarium habent in subjecto, resistens ipsarum productioni, ut calor habet contrarium frigus in aqua, aliæ contrarium non habent, ut lumen in aère. Quæritur itaque, quonam pacto res diversæ incipiant, ac desinant; nempe quomodo se habeant instantia, quibus utrinque clauditur duratio rei; vel utrum et quænam res sint jam reapse in illo instanti, in quo

(1) Quidam tamen pauci auctores apud De Benedictis (*Physic.* lib. 3, quæst. 6, cap. 8) tertium incipiendi modum invexerunt, qui sit immediate ante instans, communiter ab aliis rejectum.

Quid inceptio
et desitio
et quotuplici
modo queant res
generatim
incipere
ac desinere

Distinguantur
genera rerum,
quæ esse
incipiunt aut
desinunt.

incipere dicuntur esse; si enim sunt, illud instans est primum sui *esse*, ideoque incipiunt intrinsece, si autem nondum sunt in illo instanti, sed immediate post, illud est ultimum sui *non esse*, et consequenter habent modum inceptionis extrinsecum. Et similiter quaeritur, utrum et quænam res sint adhuc in illo instanti, in quo dicuntur esse; nam si sunt, illud instans est ultimum sui *esse*, ac proinde desinunt intrinsece; si vero jam non sunt, illud instans est primum sui *non esse*, habentque modum desitionis extrinsecum.

370. PROPOSITIO 1.^A Res successivæ, ut motus ac tempus, non incipiunt per primum sui *esse*, sed per ultimum sui *non esse*; nec desinunt per ultimum sui *esse*, sed per primum sui *non esse*.

Res successivæ
non incipiunt,
nec desinunt
intrinsece, sed
extrinsece; nempe incipiunt
per ultimum
sui *non esse*,
ac desinunt per
primum sui
non esse.

Probatur. Quia res successivæ, quales sunt motus et tempus, habent *esse* successivum secundum prius et posterius, quin possint ullæ assignari partes ulterius indivisibiles, prout ostensum est, cum de continui compositione disputaretur. Atqui successio prioris et posterioris non potest esse in instanti indivisibili; secus enim esset prius et posterius simul. Ergo in momento, in quo res successivæ, ut motus et tempus, incipiunt, nequit dici: *Nunc est motus vel tempus, et immediate ante non erat*, sed potius: *Nunc non est, et immediate post hoc instans erit*. Et pari modo in momento, in quo desinit motus vel tempus, non est verum dicere: *Nunc est, et immediate post non erit*; sed potius: *Jam non est, et immediate ante fuit*. Itaque res successivæ nec incipiunt per primum sui *esse*, sed per ultimum sui *non esse*; nec desinunt per ultimum sui *esse*, sed per primum sui *non esse*.

Dices. Si verum est dicere initio rei successivæ: *Nunc non est, immediate post erit*, ideoque dicitur incipere extrinsece: ergo immediate post verum erit dicere: *Nunc est*, ac proinde tunc potest incipere intrinsece res successiva, quia tunc verum erit dicere: *Nunc est, et immediate ante non erat*. Simili modo si in fine verum est dicere: *Nunc non est res successiva, et immediate ante fuit*, ideoque dicitur desinere extrinsece: ergo immediate ante vere dici potuit: *Nunc est, et immediate post non erit*; et tunc recte dici poterit desinere intrinsece.

Respondeo, hæc dici non posse, supposita sententia Aristotelis circa continui compositionem; quia nec immediate ante, nec immediate post instans assignari potest aliud instans indivisibile, sed pars sine fine divisibilis. Ergo in successivis nec immediate post ultimum instans sui non esse, nec immediate ante primum sui *non esse*, possibile est assignare ullum instans intrinsece spectans ad eorum *esse*.

Hæc, ut vides, supponunt illam sententiam, quæ tuetur continuum, sive permanens sive successivum, non constare ex indivisibilibus, sed ex partibus sine fine divisibilibus, e quibus proinde omnes, quotquot assignari queunt, sint et ipsæ extensæ et continuæ, ac proinde semper ulterius divisibiles. Qui ponunt motum ac tempus ex solis indivisibilibus constare, contendunt hæc incipere per primum sui *esse*, ac desinere per ultimum sui *esse*, non quidem quoad totum suum *esse*, sed quoad partem, ita ut verum sit dicere in principio: *Nunc est quoad primam sui partem, et immediate ante non fuit*; itemque in fine: *Nunc est quoad ultimam partem, et immediate post erit*. Concedunt nihilominus, quod dici possit motum ac tempus incipere ac desinere extrinsece, quia cum tempus coalescat in eorum sententia ex indivisibilibus, in instanti immediate præcedente instans, in quo prima pars motus vel temporis existit, verum est dicere: *Nunc non est, immediate post erit*; et similiter in instanti immediate sequente instans, in quo ultima pars existit, vere dici potest: *Nunc non est, immediate ante fuit* (1).

Quæ vero de successivis dicta sunt, extendi quoque solent ad quietem, in sensu proprio ac privativo sumptam. Quies namque accipi potest et negative pro *non motu*, et privative ac proprie pro motus privatione. Et negative quidem sumpta eodem modo incipit, et desinit, ac indivisibilia motus ac temporis, de quibus statim dicitur: quia in quocumque instanti et in quocumque *mutato esse* motus, mobile dicitur quiescere negative et improprie, quia verum est in eis non moveri, et propterea quies negative sumpta potest dici incipere, ac desinere intrinsece, sicut dicitur de ipsis indivisibilibus

Quies
eundem modum
incipiendi
ac desinendi
habet, ac entia
successiva.

(1) Ita inter alios Soarez lusitanus, *Physic. tract. 3, disp. 2, sect. 2, paragr. 3.*

motus. At vero quies proprie sumpta cum sit privatio motus, nempe negatio motus in subjecto apto et in tempore a natura constituto, eodem modo, ac ipse motus, intelligitur postulare successionem. Quia cum in instanti non possit esse capacitas ad motum successivum, nec potest esse quies per modum privationis; et consequenter quies privativa eundem cum motu ac successivis modum incipiendi ac desinendi habeat, necesse est (1).

371. PROPOSITIO 2.^a *Indivisibilia continuorum, v. g. motus ac temporis, incipiunt per primum sui esse, ac desinunt per ultimum sui esse.*

Indivisibilia continuorum incipiunt per primum ac desinunt per ultimum sui esse.

Probatur. Quia indivisibilia partibus carent, et totum suum esse simul habent: quare dum incipiunt, vere de illis dici potest: *Nunc est, et immediate ante non fuit*: quod est ea incipere per primum sui esse. Et similiter dum desinunt verum est dicere: *Nunc est, et immediate post non erit* (2).

372. PROPOSITIO 3.^a *Qualitates materiales, quæ cum motu ac successione fiunt, si in fieri et absolute vel indeterminate considerentur, incipiunt per ultimum sui non esse, ac desinunt per primum non esse; si autem in facto esse considerentur, ac determinate vel secundum certum gradum, incipiunt per primum, ac desinunt per ultimum sui esse.*

In primis explicandus est sensus propositionis. Qualitas potest induci in corpus cum vel sine motu stricte sumpto; nempe instantanee, ut v. g. lumen, quod inducitur in subjectum proximum ad corpus illuminans, vel successive, ut calor. Et hic solum est sermo de qualitate, quæ inducatur cum motu ac successione. Verum hæ ipsæ qualitates, quæ cum motu ac successione inducuntur, possunt sumi vel absolute et indeterminate, videlicet vel quia non determinatur ullus certus gradus intensionis in qualitate, quæ subjecto

(1) Vide Rubium (loc. cit. num. 90, 91), Conimbricienses (loc. cit. art. 2), Joannem a S. Thoma (loc. cit. art. 21), Complutenses (ibid. quest. 5.^a)

(2) Vide Rubium (loc. cit. num. 92, 93), Complutenses (loc. cit. quest. 1), Joann. a S. Thom. (loc. nup. cit.)

acquiratur, vel si gradus quidem qualitatis determinetur, portio tamen subjecti, in quam ea inducitur, indeterminata est; vel determinate ac secundum certum gradum qualitatis, puta caloris octo, decem, etc., graduum, et in subjecto unius metri, vel ulnæ, etc. Itaque

Prima pars propositionis dicit qualitates, quæ cum motu ac successione fiunt, si in ipso earum fieri et indeterminate considerentur, incipere per ultimum, ac desinere per primum sui non esse. Et ratio est, quia fieri harum qualitatum successionem importat, et similiter ipsæ qualitates ita indeterminate sumptæ. Ergo necesse est, ut incipiant ac desinant, sicut res successionem ac motum habentes, ita nempe ut incipiant per ultimum, ac desinant per primum sui non esse.

Probatur secunda pars quoad inceptionem. Quia in facto esse jam qualitas est in certo ac determinato gradu, v. g. calor ut duo. Quia ergo qualitas ejusmodi habet suum esse fixum et indivisibile, necesse est, ut incipiat per primum et desinat per ultimum sui esse. Sane si v. g. calor ut duo non inciperet, per primum sui esse, inciperet per ultimum sui non esse. Atqui hoc est impossibile. Nam si sic inciperet, daretur instans, in quo v. g. tota hæc pars aquæ non est calida ut duo, sed erit immediate post. Atqui hoc dici nequit. Nam vel in eo instanti desideratur aliquid ad perficiendum calorem ut duo, vel nihil. Si nihil, jam tunc tota illa subjecti pars erit calida ut duo; quod est contra hypothesin. Si vero desideratur aliquid; cum id non possit esse indivisibile, quia indivisibile additum non facit majus, erit utique divisibile. Sed si divisibile est, prius inducetur mediæ ejus, quam totum. Quare post illud momentum dabitur quoddam aliud, in quo tota illa pars non erit calida ut duo: ideoque punctum illud temporis antea designatum non erit ultimum non esse caloris ut duo in parte illa determinata. Ergo non recte dicitur qualitatem in facto esse ac determinate sumptam incipere per ultimum sui non esse.

Probatur eadem secunda pars quoad desitionem. Sit calor ut duo in aliquo subjecto. Quoniam agimus de qualitatibus, quæ per motum et cum motu incipiunt, ac desinunt; in instanti, quod est ultimum non esse motus contrarii,

Qualitates, quæ cum motu et successione fiunt, si in ipso earum fieri et indeterminate considerentur, incipiunt per ultimum, ac desinunt per primum sui non esse.

si autem in facto esse ac determinate spectentur, incipiunt per primum,

ac desinunt per ultimum sui esse.

verum est dicere: *Nunc est in subjecto tota latitudo caloris ut duo, et immediate post non erit jam tota*, quia aliquid per motum contrarium abjicitur. Ergo calor ut duo desinit per ultimum sui esse (1).

373. PROPOSITIO 4.^a Substantiæ, quæ generantur, et corrumpuntur incipiunt per primum sui esse, ac desinunt per primum non esse.

Substantiæ,
quæ generantur,
et corrumpuntur,
incipiunt
per primum
sui esse.

Prima pars probatur primo: nam generatio substantialis est mutatio, quæ momento peragitur, tum quia substantialis forma gradus non habet, ideoque stat intensive in indivisibili; tum quia formalis ipsaeductio formæ substantialis contrarium non habet, siquidem omnis contrarietas ac resistentia, ex parte subjecti se tenens, superata penitus supponenda est per dispositiones prævie introductas. Atqui quæcumque momento indivisibili peraguntur, ex superius dictis per primum sui esse incipiunt. Ergo generatio substantialis incipit per primum sui esse, et consequenter etiam ipsa substantia, quæ est terminus ejus; nam actio instantanea est simul cum termino ejus. Nec solum formæ substantiales, sed etiam ultimæ dispositiones ad eas requisitæ, dicuntur incipere per primum sui esse, tum quia simul sunt, tum quia habent gradum fixum ac certum, quem natura substantiæ generandæ postulabat; ac proinde, ex dictis in præcedenti propositione, per primum sui esse debent incipere.

sed desinunt
per primum
non esse.

Secunda pars etiam probatur. Generatio unius est corruptio alterius. Ergo cum substantia, quæ generatur, incipiat per primum sui esse, necesse est dicere eandem, cum corrumpitur, desinere per primum sui non esse.—**Prob. conseq.** si non desineret per primum non esse, desineret per ultimum sui esse: quare in illo instanti adhuc essent, et immediate post non essent. Jam forma nova in nullo instanti, in quo adhuc existit præcedens, potest actu existere, nisi velimus duas simul formas contrarias in eodem subjecto esse. Ergo forma nova debet immediate post ultimum illud præcedentis

(1) Vide Conimbricenses (loc. cit. art. 3 et 4), Complutenses (loc. cit. quest. 2), Joann. a S. Thom. (loc. cit. art. 2). etc., apud quos vide plura de his.

formæ produci. Quæro nunc, vel illud immediate sequens ultimum instans intrinsecum esse formæ præcedentis est etiam instans indivisibile vel tempus. Instans indivisibile non potest esse; alioquin duo instantia essent sibi immediata. Nec potest esse tempus, quia jam ostensum est in prima parte, formas substantiales, quæ generantur, per primum sui esse incipere; ergo nec possunt incipere in tempore, siquidem tempus et quæ tempore fiunt, nequeunt incipere per primum sui esse, sed per ultimum non esse, ut in prima propositione probatum fuit. Ergo formæ, quæ corrumpuntur, nequeunt desinere per ultimum esse (1).

Dices 1.^o Forma substantialis habet esse consistens in indivisibili. Ergo necesse est, ut desinat per ultimum sui esse; tum quia ita generatim dicendum est de omnibus, quæ esse indivisibile habent, ut colligitur ex probatione secundæ propositionis; tum quia si desineret per primum sui non esse, desineret in tempore, atque adeo divisibiliter.

Respondeo, formam substantialem, cum corrumpitur, ad generationem novi corporis non posse intrinsece vel per ultimum esse desinere, non quod gradus habeat in se, vel successive pereat, sed quia forma nova incipit per primum sui esse. Nam cum una forma desinit ad introductionem alterius, ea generatim regula servatur, ut si forma introducenda incipiat per ultimum sui non esse, forma corrumpenda desinat per ultimum sui esse. Ratio primi est, quia secus in aliquo instanti duæ formæ simul essent in eodem subjecto. Nam idem est instans generationis unius et corruptionis alterius: in illo ergo instanti de nova forma verum est dicere: *Nunc est, et immediate ante non fuit*; quia debet incipere per primum sui esse. Atqui si forma vetus desinit per ultimum sui esse, licet quoque de illa in eodem instanti dicere: *Nunc est, et immediate post non erit*. Ergo utraque vere existit in illo instanti. Ratio vero secundi est, quia alioquin materia in aliquo instanti nulla forma informaretur. Nam si nova forma incipit per ultimum sui non esse, licet in

(1) Vide Conimbricenses (loc. cit. art. 5), Complutenses (loc. cit. quest. 3), Joann. a S. Thom. (loc. cit. art. 1), Pererium, (*de Communibus*, lib. 14, cap. 9, prop. 4.^a et 5.^a).

ultimo illo instanti dicere: *Nunc non est, et immediate post erit*. Si autem forma vetus in eo casu desinit per primum *non esse*; in hoc primo instanti *non esse*, quod coincidit cum ultimo *non esse* formæ novæ, quia in eodem instanti generatur unum, et corrumpitur aliud, in hoc, inquam, primo instanti *non esse* verum erit dicere de veteri forma: *Nunc non est, et immediate ante fuit*. In illo ergo instanti nec est forma nova nec vetus in materia, quod naturaliter fieri nequit.

Dices 2.^o Diximus superius generationem esse priorem corruptione. Quomodo ergo possunt esse in eodem instanti?

Respondeo non esse permiscendam prioritatem et simultatem naturæ cum prioritatem ac simultatem durationis. Generationem diximus esse corruptione priorem natura, non duratione, quia duratione sunt simul.

374. PROPOSITIO 5.^a Res, quæ proprie creantur et proprie ad nihilum revocari queunt, quales sunt angeli et animæ rationales, saltem connaturaliter incipiunt per primum sui esse, ac desinunt per primum sui non esse.

Prima pars satis communis est (1), et probatur, tum quia creatio est actio momentanea omnique carens successione, ut jam alias docuimus; tum quia substantiæ quoque spirituales creatione productæ simplicissimæ sunt ac penitus indivisibiles. Ergo debent incipere, saltem connaturaliter, instar indivisibilium, nempe per primum sui esse; quia totum suum esse simul habent, ideoque cum incipiunt, licet de illis vere dicere: *Nunc est, et immediate ante non fuit*. Ob hanc rationem solet communiter dici mundum incepisse per primum sui esse; quia fieri non potuit nisi creatione, quantum attinet primam ejus molitionem.

Secunda pars magis est dubia; teneturque a Rubio, Ferrariensi, Conimbricensibus et Joanne a S. Thoma (2), contra Sotum, Toletum Aguirre et Complutenses (3), qui substantias

(1) Vide apud Rubium (loc. cit. num. 102).

(2) Locis citatis.

(3) Vide Sotum (*Super lib. 6 Physicor. quæst. 3, conclus. 6.^a*, Compluteus. (loc. cit. quæst. 4), Toletum (*Physicor. lib. 6, quæst. 4, conclus. 4*), Cardin. Aguirre (*Physic. disp. 38, sect. 3*).

in corruptibiles arbitrantur desinere per ultimum sui esse. Cæterum sensus propositionis hujus in utraque sententia non absolutus est, sed conditionalis. Nam in sensu absoluto sumpta falsum supponeret, videlicet quod prædictæ substantiæ naturaliter desinere possint; sunt enim incorruptibiles natura sua, nec in nihilum a Deo redigentur. Assertio itaque intelligenda est conditionate, ita nempe ut enuntiet, substantias incorruptibiles, si quando in nihilum redigerentur, desituras eo modo esse. Et ratio est, quia prædictæ substantiæ nequeunt interire nisi annihilatione; annihilatione autem non est actio positiva, sed suspensio concursus, quo res creata et conservata fuerat. «Hic autem cum modo indivisibili detur, ejus suspensio connaturaliter fit in instanti, sicut creatio in instanti fit. Si autem suspenditur concursus in instanti, in eodem instanti intrinseco desinit creatura. Neque enim potest suspensio concursu in eo instanti durare, et immediate post desinere: atque adeo erit verum dicere in illo instanti: *Nunc non est creatura, et immediate ante erat*: hoc autem est desinere per primum non esse, quia tunc primo non est. Si autem desineret per ultimum esse, esset verum dicere. *Nunc est, et immediate post non erit*: atque adeo esset verum dicere: *Sine concursu Dei in hoc instanti creatura est, et immediate post ablatum concursum non erit*» (1). Itaque ratio, qua nituntur adversarii ad asserendum istis substantiis modum desinendi per ultimum sui esse, scilicet indivisibilitas earum, quæ postulat, ut fiant, et pereant momento, ac totæ simul; ob peculiarem ac negativum modum, quo desinunt, videtur rem non evincere.

Dixi in propositione substantias, quæ proprie creantur et non nisi annihilatione desinere possunt, saltem connaturaliter loquendo incipere per primum esse, ac desinere per primum non esse. Nam disputatur inter Auctores, utrum per omnipotentiam Dei et modo minus naturali possint prædictæ substantiæ aut incipere per ultimum sui non esse, aut desinere per ultimum sui esse. Alii enim, ut Ferrariensis et Vallesius apud Rubium (2) putant adeo necessario istas substantias

(1) Joannes a S. Thoma (loc. cit. art. 1, *Secunda regula*).

(2) Loc. cit., num. 204.

Res que proprie creantur et desinunt per annihilationem, saltem connaturaliter incipiunt per primum sui esse.

quare mundus incipit per primum sui esse.

Eadem tamen substantiæ videntur desinere per primum sui non esse.

desinere per primum *non esse*, ut nequeant aliter desinere: alii, ut ipsemet Rubius et Vazquez (1), negant vel per absolutam Dei potentiam posse illas incipere per ultimum sui *non esse*; alii denique, ut Sotus, Conimbricenses, Joannes a S. Thoma, Cardin. Aguirre et Complutenses (2), putant, spectata Dei omnipotentia, posse hujusmodi entia utrovīs modo et incipere et desinere. Hæc altera sententia probabilior videtur; ut autem in recto sensu intelligatur, nota dupliciter dici posse rem aliquam incipere per ultimum *non esse*: «uno modo ita, ut ejus effectio *mensuretur tempore*, et ad ejus fluxum naturamque secundum alias et alias partes sese accomodat: altero, ut existat quidem ejus productio, dum tempus fluit, et tamen nec producat successive, nec tempore *mensuretur*, sed tota simul efficiatur, et in se tota simul atque impartibiliter existat» (3). Docent ergo hi auctores, quamvis substantiæ prædictæ connaturaliter incipiant per primum sui *esse*, non tamen penitus repugnare, ut etiam incipiant, per ultimum sui *non esse* altero ex assignatis modis. Et ratio est, quia licet substantiæ prædictæ debeant incipere modo indivisibili, atque adeo in instanti, at illud instans, in quo incipiunt, est instans angelicum. Jam vero sicut substantia ipsa angeli vel animæ, quantumvis simplex et indivisibilis in se, potest tamen præsentiam suam exhibere spatio divisibili, et cōexistere tempori; ita etiam non repugnat quod talis substantia incipiat non solum in instanti, quod correspondeat instanti nostri temporis, sed etiam immediate post, seu in instanti, quod nostro tempore correspondeat. Tunc autem inciperet in tempore, seu cōexistendo tempori nostro, quamvis semper indivisibili modo, et non commensurata tempori per partes, quibus caret penitus, ac proinde inciperet per ultimum sui *non*

(1) Rubius (loc. cit. num. 208), Vazquez (In 1.^{am} part., disp. 229, cap. 10).

(2) Sotus (*Super lib. 6.^{um} Physicor.* quæst. 3, conclus. 6), Conimbricenses (loc. cit. art. 6), Joannes a S. Thoma (loc. cit. art. 1, *Quod si inquiras*, et *Secunda regula*), Aguirre (loc. cit.) et Complutenses (loc. cit.).

(3) Conimbricenses (loc. cit.). Cfr. Joann. a S. Thoma (loc. cit. *Quod si inquiras*).

esse. Simili modo posset Deus, ut rem in nihilum redigeret, suspendere suum concursum, non in instanti nostro, sed immediate post, quia re vera immediate post quodlibet instans temporis nostri libere continuaret illum, et consequenter libere posset illum suspendere. Atqui si Deus immediate post instans nostri temporis suspenderet concursum, res desineret per ultimum sui *esse*; quia in tali præcise instanti verum foret dicere: *Nunc res est, et immediate post non erit*: quod est desinere per ultimum sui *esse*. Ergo saltem spectata divina potentia, potest substantia, quæ sola creatione produci, solave annihilatione perire posset, incipere per ultimum sui *non esse*, ac desinere per ultimum sui *esse*. De inceptione ac desitione qualitatum et actuum spiritualium quid dicendum sit, facile ex dictis decerni poterit. Itaque hæc nobis delibasse sufficiat. Plura reperies apud veteres Doctores, apud quos etiam difficultates contra stabilitas assertiones videri possunt.

§ II.—DE TERMINIS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS RERUM NATURALIUM (1).

375. Terminus magnitudinis vel parvitatē in rebus naturalibus intelligitur maximum et minimum, quod attingere illæ possunt. Duplex distinguitur: *intrinsicus* et *extrinsicus*. Terminus magnitudinis intrinsicus vocatur etiam *maximum quod sic*, et est ille, sub quo res esse potest ita, ut sub majore esse non possit: v. g. si homo possit attingere magnitudinem septem cubitorum, non tamen excedere, septimus cubitus erit terminus magnitudinis intrinsicus hominis vel *maximum quod sic*. Terminus extrinsicus magnitudinis, quod a veteribus dicebatur *minimum quod non*, est ille, sub quo res esse non potest, quamvis sub quolibet minori possit: ut octavus cubitus pro hominis statura, supposito quod ille sit minima mensura, quam nequeat attingere. Terminus

Quid sit et quotuplex terminus magnitudinis et parvitatē.

(1) Videantur Conimbricenses (*Physicor.* lib. 1, cap. 4, quæst. 1), Rubius (ibid. tract. *de Terminis rerum*, quæst. 1.^a et 2.^a), Pererius (*de communibus* etc. lib. 10, cap. 22, 23), Toletus (ibid. cap. 4, quæst. 9 et 10), Complutenses (*Physicor.* disp. 27), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 8, art. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 28, sect. 4 et 5), Sylvester Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 31).

parvitatatis intrinsecus, seu *minimum quod sic*, est ille, sub quo res esse potest, sed non sub minori, ut si anima humana non possit introduci in materia minori, quam duorum decimetrorum, possit tamen in ea, erit *minimum quod sic*. Terminus parvitatatis extrinsecus vel *maximum quod non*, est ille, sub quo res non potest esse, licet possit esse sub majori: sic si semipalmus foret minima ex mensuris sub quibus non posset esse homo, esset *maximum quod non* respectu illius.

Status
questionis.

Vocibus declaratis, illud notandum venit, res naturales respectu divinæ omnipotentiae nullum terminum habere sive in infinito magnitudinis sive in infinito parvitatatis, nempe punctum indivisibile; quorum utrumque repugnare probabilius supra docuimus. Nam potest Deus, spectata sua absoluta virtute, data quacumque magnitudine aliam majorem ac majorem, et similiter minorem ac minorem in infinitum producere. Cum ergo disputatur, utrum admittendus sit in rebus naturalibus terminus aliquis magnitudinis et parvitatatis, quem transgredi non liceat, quaestio procedit secundum cursum naturalis ordinis. In quo etiam, si solum factum attendatur, nulla est difficultas: quandoquidem certum est de facto inter corpora omnia naturæ aliquid esse omnium maximum et aliquid minimum, quamvis a nobis nequeat determinari. Dubium ergo est de possibili secundum ordinem naturæ, an videlicet res naturales cujuslibet speciei petant determinatam magnitudinem versus maximum et minimum, ita ut nec sub minori nec sub majori esse possint. Neque vero resolutio est æque communis inter Doctores circa corpora viventia et circa non viventia.

Quid
dicendum
de viventibus
ex communi
opinionem.

Circa viventia est communissima opinio tenens præfinitos illis esse terminos intrinsecos magnitudinis et parvitatatis tum quoad generationem, tum quoad augmentationem et conservationem in statu connaturali, ita ut nec sub minori nec sub majori possint generari aut conservari (1). Probarique posset

(1) Ita S. Thomas (*Physicor.* lib. 1 lect. 9, paragr. f; 2.^a de *Anim.* lect. 8 fin.; 2.^a dist. 14, quaest. 1, art. 1 ad 4.^{am}; 1 p. quaest. 7, art. 3, etc.) cum Aristot. (1.^a *Physicor.* cap. 4 text. 36; et de *Anima* lib. 2, text. 41, lib. 4 de *Generat. animal* cap. 4; *Politicor.* lib. 7, cap. 4),

primo inductione et experientia. Nam quamvis individua ejusdem speciei variam habere videmus magnitudinem, ea tamen varietas intra limites aliquos continetur. Neque enim homo vel molem montis attingit, vel usque ad formicæ corpusculum contrahitur: idemque judicium ferendum est de aliis etiam viventium speciebus. Probatur etiam ratione: *et primo quoad generationem*; quia forma viventium producitur per certas ac limitatas causas et in gradu certo ac determinato, ideoque in instanti ac more permanentium entitatum, secundum ea quæ superius scripta sunt de inceptione formarum substantialium. Ergo exigit certas ac determinatas dispositiones et certam ac determinatam quantitatem, infra quam vel supra quam fieri nequeat. Tum quia si infra quamlibet determinate assignabilem quantitatem forma viventium produci posset, inciperet per ultimum sui *non esse*; tum quia experientia ipsa videtur ostendere viventia non generari in quavis sive exigua, sive magna mole. Sumatur ergo ea magnitudo, in qua certe non possit vivens aliquid generari naturaliter, et minuatur continue, donec perveniatur ad eam mensuram, in qua soleat generari. Profecto in ea imminutione reperitur aliqua magnitudo, sub qua generari potuit vivens, cum non posset sub majori. Ergo erit ille terminus magnitudinis intrinsecus. Simili modo si sumatur tam parva quantitas, sub qua non possit vivens generari, et continuo augeatur; venietur ad aliquam magnitudinem, sub qua possit generari, cum nequeat sub minori: quæ proinde intrinsecus terminus erit parvitatatis.

Probatur etiam eadem doctrina quoad augmentum et conservationem: quia viventium augmentatio fit, non per aggenerationem vel *juxta-positionem* partium, sed per *intus-sumptionem* alimenti et conversionem in propriam substantiam:

et veteribus Commentatoribus; et Scotus (2.^a dist. 2, quaest. 9), Capreolus (2.^a dist. 19, quaest. 2 art. 3), Cajetan. In 1.^{am} part. quaest. 7, art. 3; Rubius (*Physicor.* lib. 1, cap. 4, quaest. 1), Conimbricenses (ibid. quaest. 1, art. 2), Benedictus Pererius (*de communibus* etc. lib. 10, cap. 23, propos. 3), Toletus (ibid. quaest. 9, tertia conclus.), Complutenses (*Physic.* disp. 27, quaest. 2), Joannes a S. Thoma (*Physicor.* quaest. 8, art. 2), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 38, sect. 4), Mastrius (*Physic.* disp. 9, quaest. 3, art. 2), Mauri (*Quaest. philos.* lib. 2, quaest. 31).

hæ porro operationes fiunt ope potentiarum ac virtutum naturalium, quæ cum sint limitatæ perfectionis, et agendo repatiantur, non possunt augmentum viventis in infinitum protrahere, sed paulisper fatiscunt, et infirmiores redduntur. Præterea corpora omnia viventium organica sunt. At partes organica nec possunt in quavis magnitudine apte inter se componi, nec functiones suas exercere. Quare nec etiam compositum ex talibus partibus potest quamcumque molis magnitudinem vel parvitatem admittere (1).

Et hæc quidem de viventibus. Quod attinet corpora non viventia, in eo conveniunt plurimi, quod habeant saltem extrinsecum terminum et magnitudinis et parvitatatis, quia nec possunt generari in puncto aliquo indivisibili materiae, nec in mole actu infinita. Ex quo sequitur corpora non viventia necessario habere pro termino extrinsecum parvitatatis saltem punctum indivisibile, ac pro termino magnitudinis infinitam quantitatem. Multi etiam consentiunt opinantes, corpora non viventia terminum intrinsecum magnitudinis, saltem ex sese ac natura sua, non habere in ordine ad aggenerationem et incrementum. Probantque suam sententiam exemplo ignis, qui ex se non postulat certam magnitudinem; immo si plura et plura in infinitum ligna apponerentur, in

(1) Difficultates contra istam doctrinam videri possunt apud Conimbricenses (loc. cit. art. 3) et alios AA. Ex qua etiam plures colligunt, non viventia solum, sed cadaveratiam intrinsecum magnitudinis et parvitatatis terminum habere. Et ratio est, quia cadaver nequit esse majus aut minus, quam corpus vivum. Ergo si corpus vivum habet intrinsecos terminos magnitudinis et parvitatatis, eosdem etiam debet habere cadaver. Vide Arriaga (*de Gener. disp. 2, num. 55*), Soarez lusitanum (*de Gener. et corrupt. disp. 2, sect. 2, num. 206*), Conimbricenses (loc. cit. art. 4).

Alii, ut Joannes a S. Thoma et Card. Aguirre (loc. cit), notant, quamvis viventia quoad suam generationem et conservationem intrinsecos habeant terminos magnitudinis et parvitatatis, in via tamen corruptionis non posse habere nisi extrinsecos dumtaxat: quia nimirum si haberent terminos intrinsecos sive magnitudinis sive parvitatatis, quoniam immediate post illos deberent corrumpi, in motu quo ultimum illum terminum assequerentur, verum esset dicere: *Nunc est vivens, et immediate post non erit*. Quare viventia illa desinerent per ultimum sui esse: quod est contra superius dicta de modo desitionis entium generabilium et corruptibilium.

Quid
dicendum
de non
viventibus;

in quo
conveniunt AA.
communis,

infinitum cresceret. Idemque dici potest de aqua, aëre aliisque corporibus. Quare si de facto corpora omnia non viventia terminum habent magnitudinis, id non contingit per se et ex interna eorum natura vel exigentia, sed per accidens vel ex defectu aliquo extrinsecum. Et ita videtur probabilis dicendum cum gravissimis Auctoribus (1), immo et cum ipso S. Thoma et Aristotele (2), qui, licet repugnantibus Complutensibus (3), id videntur diserte docere. *Ignis enim augmentum*, inquit Philosophus, *in infinitum est, quousque fuerit combustibile*. Et S. Thomas: *Manifestum est... quod ignis augmentum non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inveniat* (4). Multi autem, qui in hoc conveniunt, scinduntur in diversas opiniones relate ad terminum intrinsecum magnitudinis in ordine ad generationem et primam corporum non viventium productionem. Nam Thomistæ (5) cum S. Thoma (6) putant corpora non viventia ex vi suæ generationis et formæ determinatum et intrinsecum habere magnitudinis terminum, quem nequeant naturaliter excedere. In cujus doctrinæ fulcimentum ea solet ex S. Doctore afferri probatio: *Nam omne corpus naturale aliquam formam substantialem habet determinatam. Cum igitur ad formam substantialem consequantur accidentia, necesse est, quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia; inter que est quantitas. Unde omne corpus naturale habet determinatam quantitatem et in majus et in minus* (7). Alii vero multi scriptores negant corporibus non viventibus esse præfinitum ullum intrinsecum terminum magnitudinis etiam in

et in quo
discrepent,
sive relate
ad terminos
magnitudinis,

(1) Tales sunt, ut alios omitam, Albertus M. (*de Anim. lib. 2 tract. 2, cap. 4*), Scotus (2.^o dist. 2, quest. 0), Toletus (1.^o *Physicor. quest. 0, conclus. 4*), Conimbricenses (ibid. quest. 1, art. 4), Rubius (ibid. quest. 2, num. 80), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 5, num. 30), Joannes a S. Thoma (loc. cit. quest. 8, art. 2, *conclus. 2.^a*).

(2) Aristot. (*de Anim. lib. 2, test. 41*), S. Thom. (ibid. lect. 8, fin).

(3) *Physicor. disp. 27, quest. 2, num. 6, 14, 15.*

(4) Loc. cit. Cfr. Joannes a S. Thoma, et Cardin. Aguirre.

(5) Vide Joannem a S. Thoma, Cardin. Aguirre, Complutenses aliosque apud ipsos.

(6) Loc. nuper citat. *de Anima*, et 1 p. quest. 7, art. 3, etc.

(7) S. Thom. 1 p. quest. 7, art. 3.